



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXXIV. De Translatione Reliquiarum Sancti Benedicti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXIV.

DE

Translatione Reliquiarum Sancti Benedicti.

Sanctus Benedictus in Monasterio Cassinensis Montis, diei emortalis præsciis, quam etiam diu ante suis indicaverat discipulis, sepulchrum, in quo corpus suum condi veller, sex diebus, antequam inferretur aperiri iussit, ac delatus in templum inter manus illorum sanctam efflavit animam, corpus verò ipsi condigno honore sepeliverunt. Multoties deinde Monasterium illud principale à Paganis, Barbarisque invasum fuit: ita, ut quotquot erant incolæ religiosi, aut trucidati, aut fugâ elapsi, ipsum solum immanitati irruentium ad tempus reliquerint. Nihilominus tamen postliminio, veluti ex persecutione vegetior, sacer Ordo Benedictinus, locum primordiale à superioribus retro sæculis sibi vindicavit, ubi etiamnum cum insigni prærogativa floret, vigetque in universo mundo celeberrimus. Sæculo autem VII. sive ob Longobardorum, totam Italianam devastantium, sive aliorum irruentium hostium clades, miseranda prorsus erat in memorato monte Cassino solitudo, lo-

cus desolatus, sanctificatio deserta, & sancta conculcata, quando Aigulphus Monachus, postea Martyr, à Mummulo Monasterii Floriacensis Abbate illuc missus ad sancti Benedicti corpus inde tollendum, transtulisse illud refertur unâ cum corpore sanctæ Virginis Scholasticæ ejusdem sancti Benedicti sororis Germanæ. Hoc ipsum Monachi Floriacenses pro certissimo tenent quorum causam defendendam suscepit Joannes à Bosco; eandemque, ut observat Molanus in *addit. ad Martyrol.* 21. *Martin.* egregiè tractant Hugo Menander in *objicvat. ad Martyrol. Benedictin.* alique Benedictini Galli: quibus manum secundam præbuit Joannes Mabillonius *Dissert. præc. in hist. transl. corporum Sancti Benedicti. & S. Scolast.* At Cassinenses hoc ipsum omnino fallum esse asserunt: & hæc sacra pignora apud se perpetuis usque huc temporibus remansisse deposita contendunt: quod tam proluxa, quam operosa scriptioe Mathæus Lauretus evincere conatur. Dum igitur
Homer. Ody. O.
E

*Es manibus pedibusque & saltibus
atque palestra.*

Invicem concertant, magno ut fieri consuevit, fervore & æstu quisquis spartam suam tuetur, & à neutra parte, quicquid ad rem facere potest, minimum negligitur. Cassinensium hæ sunt probationes.

I. Nequaquam verisimile videri potest, monachos Cassinenses corpus sancti Benedicti, sui Patriarchæ; quod ultra sæculum tam religiosè custodierunt, & tam piè venerari fuerant Longobardorum furori reliquisse. Quod si Romam migrantes illud secum non asportaverint; saltem studiosè providèque occultatum, ut quidam perhibent, delitescens in antris cujusdam Anachoretæ solerti custodiæ traditum fuit. Etenim si iidem Religiosi exulantes, quemadmodum certa relatione habetur, mensuras panis & vini, à S. Benedicto in regula præscriptas, secum asportare nequaquam obliti fuerint, non est credibile eos tam inæstimabilis thesauri assumendi, recondendi, aut quovis modo possibili in locum tutum salvandi fuisse immemores. Cerrè ea tempestate imminens hostis metu Sanctorum Reliquias passim in tutiora receptas aut translatas, vel locis obscuris abstrusas, variis locorum cubibus, & latentibus etiamnum eorundem corporibus, alitve rerum eventibus doceri potest, utique ergo fugientes Religiosi sui pretiosas exuvias Nomothetæ ita abdiderunt; ut nulli alteri, quam sibi reconditarum locus constaret.

II. Refert Petrus Diaconus, monachus Cassinensis *de ortu & vita Sanctorum illius monasterii*, quod Anno Domini 1066. sub Abbate Desiderio, in renovatione Ecclesiæ, die octava S. Benedicti, repertum fuerit in terra sarcophagus marmoreus, in quo ejusdem S. Patris & sororis suæ Scholasticæ ossa recondita fuerant, una cum latere, nominis continente: quodque mox terræ motus

frequens & montis concussio horribilis fuerit subtecuta. Varia item miracula eo die & deinceps ibidem contigerunt, quæ citatus Petrus Diaconus pluribus ibidem commemorat. Inter hæc verò illud celebre, quod Urbanus II. P. M. cum in Monasterium Cassinense venisset, à dolore lateris intensissimo, per ipsum S. Benedictum sibi apparentem, fuerit subito sanatus ad evictionem præsentis ibidem corporis requiescentis. Subsecutis quoque temporibus multi vario morborum genere oppressi, ejusdem Sancti opem ad sepulchrum illius implorantes, reddita sibi sanitate, præsentis auxilium senferunt. *Sanctus Henricus Imperator*, ut in Breviario Romano *Leet. 2. Notturni 2.* (eas lectiones composuit Card. Bona, approbavit pro Ecclesia universali Clemens X.) legitur. *In Cassinensi monasterio gravi detentus infirmitate à S. Benedicto insigni miraculo sanatus fuit.* Quod ita contigit narrat Author vetustus apud Henricum Canisium *tom. 6. pag. 387. Ingravescente autem dolore Henricus Imperator ascendit in montem Cassinum, petens Ss. Benedicti, & Scholastica Sororis ejus auxilium. Et cum oraret, cepit cogitare qua de translatione S. Benedicti ejusque Sororis audierat; quia videlicet eorum reliquia dicebantur furtim ablata, & in alium locum translata: ideoque cepit de corporali eorum præsentia dubitare. Completa verò oratione ad hospitium se consulit; & lassatus ac debilitatus in lectulo se collocavit. Cumque obdormivisset, audit sibi S. Benedictum assistere & ferreum sectorium ad medicinales sectiones aptatum manutenere. Qui dixit ei. Quia sperasti in Deo & Sanctis ejus: ecce missus sum à Deo, ut per medicinam meam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego cuius ossa furtim sublata putaveras, præsentiam meam tibi adhibeo, & in argumentum veri, passiones tuas curabo.* Igitur negari non potest, quin plurimis retro sæculis post præsentiam illam translationem

tionem sanctus Benedictus, tanquam Patronus in illo monte repositus, constanter fuerit agnitus: cuius corporis ibidem inventionem sub Cardinale Aragoniæ factam perhibet Volateranus *Antropol. L. 20. referuntque antiquitates Fuldenfes Lib. 1. cap. 19.* Quod ipsum in eodem Monasterio reservari, insuper confirmatur ex eo, quod etiam Galliæ Principes, plurimi Magnates, & innumeri alii ex toto Orbe fideles non ad Monasterium Floriacum: sed ad Cassinense, devotionis causâ, peregrinati, pensis ad tholos anathematis, vota sua persolverint.

III. Varia variorum Pontificum Romanorum Bullæ & Diplomata authentica in Archivis Cassinensibus asservata; manifestè decernunt ac declarant corpus Sancti Benedicti extare in primævo Ordinis Monasterio: atque inter hæc sunt Zachariæ, Benedicti VIII. Alexandri II. Urbani II. integerrima, quæ quæstionem ea de re definiunt. Et quidem Urbanus II. in Bulla Anno 1092. Kal. April. Pontificatus sui anno 4. Indiæ. 14. in virtute Spiritus S. præcipit; ne quis ulterius falsam Patris Benedicti translationem celebrare præsumat. Cùmque nihilominus refractarii Floriacenses cum quibusdam Episcopis & Cardinalibus Gallis eandem translationem 4tâ Decembris, publica festivitate, peragerent, Paschalis II. tunc Floriaci existens, post fufas ad Deum preces, asseveravit, falsam esse translationem, quam Galli prætendebant. Quo monachi velut stupefacti, regulare officium celebrare cœperunt. Voluit etiam idem Pontifex altare, sub quo reconditum corpus dicebatur, destruere: quod, precibus monachorum adductus, permisit, ne comperta falsitate, famâque divulgata, monasterium ipsum fortè destrueretur ab aliis, qui sibi impositum indignarentur. Denique Benedictus XIII. P. M. Constitutione amplissima de Monasterio Cassinensi Anno 1725. prid. Non. Aug. emanata, inseruit præfatum Monasterium

S. Benedicti corporis sacro deposito conditorum; quod quidem Anno 1727. Benefacto redux, ibidem triduo commorans religiosissimè idem Sanctissimus Pontifex veneratus fuit. Innumeri sunt præterea, teste Baronio, qui translationi corporis huius præteritæ contradicunt, proinde præterita quoque possessio nunquam fuisse pacificam.

Quantumcunque hæc Itatorum ephrasis videri posset plausibilis, atque foriter in rem suam facere: eam tamen in minimo are ducunt Floriacenses, corpusque S. Benedicti una cum corpore S. Scholasticæ in Galliam translatum credunt, aliisque persuasum volunt his, quæ in probationem adferunt.

I. Paulus Diaconus, dictus Warnefridus, alias Winfridus, natione Lombardus, Desiderii ultimi Regis Cancellarius, cum eodem in Galliam captivus abductus, & in exilium missus, demum monachus Cassinensis, Gallorum hostis, *Lib. 6. de gest. Lombardor. cap. 2.* diserte scribit, ossa S. Benedicti, & S. Scholasticæ in Galliam fuisse translata. Refert quoque id ipsum Anastasius, monachus Cassinensis, postea Cardinalis & Bibliothecarius Stephani II. P. M. Anno 774. quorum profectò locupletissimum debet censerè testimonium, utpote inimicorum, quemadmodum vulgo fertur. Testimonium verum est, ab ore inimico quod venit. Intellige, si sit in favorem sibi adversantis. Idem perhibent Florus Ecclesiæ Lugdunensis Subdiaconus, conditus Magister, vel etiam Drepanius, qui sæculo nono Additiones evulgavit ad Martyrologium Bedæ, quas alii adjudicant Floro monacho ad S. Trudonem sæculi 8vi Scriptori, cuius Martyrologii Wandalbertus meminit. Ado Archi-Episcopus Viennensis, qui pariter sæculo 9. Martyrologium conscripsit, Proardus Canonicus Rhemensis. Insuper alii diversarum nationum Historici, fide dignissimi, translationem horum corporum factam, suo consignant calculo. Wandelber-

tus Prumiensis in suo Martyrologio metrico, quod composuit circa Annum 840. ad 5. Id. Julii. Regino Abbas Prumiensis, Adrevaldus, seu Adelbertus Lib. singul. quem circa annum 890. scripsit, aliisque monachus Adelairus augmentavit. Aimonius monachus Floriacensis, qui circa annum 970. historiam Francicam edidit, perperam, (licet in favorem causæ foret) Aimonio, prioris sæculi ad S. Germanum monacho adjudicatum, asseverat sua jam ætate sacra pignora S. Benedicti in Floriacensi Cœnobio recondita. Videri etiam possunt Theodoricus à S. Albano, monachus Moguntinensis, qui in fine ejusdem sæculi S. Benedicti vitam & translationem scripsit. Odo Abbas Cluniacensis, Sigbertus denique Gemblacensis ad annum Domini 651, hanc translationem ex aliis vetustioribus refert.

II. Sanctum Benedictum ex Cassino monte in Galliam ad Floriacense monasterium translatum & S. Scholasticam in Cenomanorum Urbem repositam, tota Gallia, omni sæculorum decursu, aliæque permultæ, imo, præter Italicam, omnes nationes, perhibente Rodolpho Tortario, pro re certa crediderunt & tradiderunt; extantque illustriamque monumenta, quæ jam inde ab illis reliquiis in Galliam translatis, à cœvis memoriæ sunt literisque mandata.

Sed & Annalium publica fides, tabulæ & scripturæ authenticæ in Chartophylacio Floriacensi reconditæ & integerrimæ reservatæ, idoneas gesto negotio subjiciunt testationes, adjecta temporum personarumque ratione, in qua perspicacissimi Critici nihil reprehensibile invenire poterunt. *Æquum est autem*, scribit Symmachus Lib. 10. Epist. 54. *quæquid omnes colunt, verum putari.* Vetustissima quoque, atque incorrupta etiamnum documenta fidem faciunt, quod Anno Æræ vulgaris 874. 6. Id. Junias Richildis Regina Franciæ Caroli Calvi conjux corpus S. Scholasticæ ab Urbe Oenominica

transstulerit, & in pago Waberinensi apud Juvenciacum, aliàs Givigniacum, condiderit, ubi ad hæc usque tempora in templo parthenonis à se constructi requiescit. Atque hanc translationem autoritate Gossini ad Ss. Germanum & Victorem Abbatum, & Godofridi ejus fratris factam incolæ à Majoribus acceperunt, quam ipsiusmet facti pignoris vindicatione incontestabili probant, dum in præfati parthenonis templo, ejusdem S. Scholasticæ patronæ caput, brachia, & pleraque ossa quotannis publicæ venerationi exponunt. Denique in horribili illa Galliæ devastatione, dum expilaretur Monasterium Floriacense, ablata capsâ aureâ per Odetum Cardinalem Chastillon, Archi-Episcopum Tolosanum, & Loci Commendatorem, Apostatam, remansit corpus S. Benedicti in quodam cubiculo, quod anno 1581. die 27. Maji Claudius Sublestius, Loci Abbas, in aliam Thecam locavit & solemnî ritu in antiquum præordinatum scrinium reposuit. Sed & Patres celeberrimæ Congregationis S. Mauri procurarunt magnificam, ex solido argento, thecam, auro obductam fabricari, in qua Anno 1643. die 3. Maji sacra Lipsana fuerunt deposita, una cum regula S. Benedicti, ejusque vitæ compendio, nec non authenticis Regum & Principum Diplomatum, quibus possessio harum stabilitur Reliquiarum.

Quæ à Cassinensibus monachis, horumque fautoribus in hac causa proferuntur, levi brachio excutienda videri possent.

Ad Primum Respondetur. Quæ ex meris conjecturis deducuntur, fidem fluxam habent & lubricam; præsertim quando illa, quæ ex adverso stant, haud leviter præponderant: quorum gravitas tanto vehementius animum, nullis præjudiciis oppressum, movere ad credendum & figit, quanto efficacius inanes conjecturas alleviat. Aliud autem est potuisse, debuisse monachos Cassinenses

nenses sui defuncti Institutoris curam gerere; cum metu hostium aufugerent, vel delitescerent; cum videamus frequentissime, quosvis, etiam regularis disciplinae solertissimos monachos, sui Institutoris memoriae tenacissimos esse, ut pro ea conservanda patati sint, vitam quoque profunderere, ut Baronius *tom. 8. Annal. ad Ann. Chr. 664. num. 24.* in hac causa discurret. Aliud verò est, eisdem Cassinenses Religiosos dicti S. Institutoris sui reliquias occultasse, asportasse, aut aliorum sedulae curae reliquisse. Hoc enim est, quod quaeritur; idque, si factum fuisset de his reliquiis transferendis, Aigulphus mandatum non accepisset. Profecto ex Historiae Ecclesiasticae monumentis in comperto habemus, haud infrequenter divina obvenisse dispositione, ut suorum amicum, nimis honoratorum, minus in honore habitae, aut variis casibus derelictae exuviae sacrae in alias regiones sint translatae, ubi multo tempore, tanto quidem carentium damno, quam possidentium fructu, in majori veneratione à devotis reservatae fuerunt. Quod de mensura à fugientibus religiosi assumpra narratur; nihil in hac causa probat. Valeat suo loco argumentatio à minore ad majus; in historicis elumbis est. Nihilominus his occurrit, Cassinensibusque succurrit Annalium Ecclesiasticorum Eminentissimus Conditor hoc verborum tenore. *Si velimus nimia oscitantia stertisse omnes, ut absque cultu veneranda Lipsana dereliquerint; quomodo transferre ea Romam ad Lateranense Cœnobium in mentem non venisse potuit tot praterlabentibus annis? Quod, cum eos non fecisse constet plane; bene cultum tunc fuisse & custoditum illum locum, aliquando restituendum argumento est.* Ita ille.

Quod quidem de vitis istis Religiosis credere etiam mens non refugiat humana

*Non enim gaze, neque Consularis
Submovet Licet miseris tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.*

Verumtamen, sicut ob repentinum, minulvè prævifum irruentis hostilis exercitus accessum fieri consuevit, ut in summa rerum confusione, & medio jactatus in turbine mortis, quisquis, posthabitis etiam pretiosissimis, fugâ salutis suae consulat; ita rerum hujuscemodi constitutionem perpendens facillè credet pavidos Cassinenses monachos, Longobardis sibi imminetibus, charissimum pignus reliquisse; quod quidem occultatum immorante diutius hoste, citra extremum amittendi periculum abducere nequiverint. Cumque prioribus defunctis, sequacium unus forsitan sacras reliquias postliminio recuperare vellet, occidit illi poterat illud Nasonis. *Epist. 16.*

*Ad possessa venis praeceptaque gaudia
serus.*

*Spes tua lenta fuit, quod velis alter
habet.*

— Ad Secundum Respondetur, De inventione ista, gestis, miraculis & prodigiis non constare authenticè; utpote conscriptis à monacho Cassinensi in propria causa, quod sufficit ad prudens dubium formandum de veritate. Fabulis anilibus, sola temporis duratione apud posteros fidem nactis, non modo profana; sed etiam sacra infecta esse, & vario sine conscripta, lamentatur Historicus superioris aevi celeberrimus Papyrus Masonius *hist. calam. Gall.* Quaedam à Petro Diacono relata fuere, quae nemo prudens facillè admittet contigisse; quia, immisso acutissimae ac sagacissimae disquisitionis, criticisque ferro, concidenda esse atque everruncanda, rectè judicabit. Atque

quæ, ut omnia vera ſint: negant Floriacenſes, quod ſint huius Controverſiæ deciſiva argumenta; quia prætendunt, quod multo plura atque illuſtria miracula Floriaci conſpexerint, quæ apud citatos Aldrevaldum & Rodolphum Tortarium &c. &c. conſignata reperiuntur.

Aſt, quod Floriacenſes hic oggerunt Caſſinenſibus, percommode hi illis regerere poterunt. Apprime illud Iſidori Peleuſiæ Lib. 5. Epift. 92. obſervandum venit. *Id quod dubitationem habet, alia dubitatione minime unquam diſſolvi.* Nam, ut idem ſanctus, doctiſſimusque monachus alibi reſatus ſcribit Lib. 3. Epift. 28. *Per ea quæ certa & conſeſſa ſunt, de dubiis iudicandum eſt, non autem per dubia & ambigua de certis & indubitat.* Cujuſmodi eſſe quæ de poſſeſſione corporis ſancti Benediſti narratur, tam ab hiſ; quam ab illis prætenditur. Proinde dicendum venit; aut reliquias S. Benediſti ſeparatas utrobique ſervari; aut, ſi in alterutro loco ſint ſuppoſitiæ, nihilominus, ſi bona poſſidentium fide ad cultum expoſitæ ſint, poſſe miraculorum occaſionem præbere. Siquidem non dedignatur benigniſſimus Deus colentium fidem potius reſpicere, quam immediatum objectum illius cultus, qui ſemper in primarium ſuum fertur objectum, ipſum nempe Sanctum, cuius eſſe reliquæ, Chriſtiana ſimplicitate creduntur. Quemadmodum enim, quod & alibi dictum, veram Eleëmolyſnam confert & meritum acquirit, qui ſine nimis anxia inſpectione ſuccurrit proximo, inopiam ſingenti: ira Sancti interceſſione in eo loco reperit auxilium, ubi ſine ulteriore indagine credens, ejuſ veneratur exuvias, quæ quidem ibidem eſſe dicuntur, ſed alibi ſunt reſoſitæ.

Scitum eſt illud Ariſtotelis. *Nihil reſert quadam falſa probabiliora eſſe quibuſdam veris.* Ita nil reſert, quædam falſa piè credi, ſubinfert Geiſon, *Non quidem ea ratione, ut Doct. Chriſtiſſimus egregie commenta-*

tur Declar. verit. tom. 1. col. 24. qua falſa ſunt: vel ſi ſciuntur eſſe falſa credi poſſunt Procul ſit hoc à credulitate fidelium: ſed cadit exiſtimatio vel pia credulitas, non ſuper veritate vel falſitate: ſed tantum ſuper apparentia vel probabilitate: & hoc utique non eſt periculoſum vel falſum: quia conſtat de apparentia & probabilitate, dum falſitas vel veritas ignota eſt. Propterea ſapientiſſimè dixit Hieronymus. Quod de talibus eligibilius eſt piè dubitare, quam temerè definiere. Sicut ſtat quodlibet contradictorium eſſe ſe probabile, & unum ſtat cum altero, non veritate: ſed probabilitate. Exemplificari poteſt de corporibus Ss. aut membris, quæ conſervantur pro reliquiis. Nam idem corpus aſſertur cum membris eſſe in multis locis & tanquam tale veneratur... qui eum veneratur in iſto loco, non credit eſſe in alio: alius autem econtra. Sic diverſis reſpectibus utrumque contradictorium credi poteſt cum fidei pietate, dum tamen ſit animus ab aſſertione pertinaci alienus. *Hactenus Cancellarius Pariſ.*

Negari interim non poteſt, quod S. Benediſtus in monte Caſſino miraculis corruſcans colatur, ubi Religionis ſuæ fundamenta jecit, vitam cœleſtem duxit, incolarum plurimos ad veram fidem perduxit, animam efflavit & corpus depoſuit: quæ ſimul, vel ſeorſim miraculorum, accedente fidelium devotione & pia confidentia, occaſionem præbuiſſe credibile eſt. Quod ſi Paulo Diacono habenda ſit fides in eo, quod ſcribit, reſectas in pulverem carnes S. Benediſti in monte Caſſino remanſiſſe, translatis aliò oſſibus: totum illud quod iſtius Monafterii Religioſi in ſua cauſa proferunt, de hiſ pulveribus intelligendum erit. Atque hoc modo, dum citatus Paulus cap. 40. de reſtitutione præfati Monafterii, facta per Petronacem Brixianum, agens, corpus S. Benediſti illuc eſſe teſtatur, arbitro Baronio, intelligi debet de cineribus, quæ ſuper-

superstitēs dicebantur; quod Floriacenses, qui tibi ossa vendicant, non oppugnant; conceduntque eo sensu, quod Francorum Principes, S. Henricus Imperator, alique fideles in monte Cassino corpus S. Benedicti fuerint venerati: eo vel maximè, quod idem Cardinalis ex Gregorii Nazian. scriptis in *Julianum* ostendat, venerari fideles piè sancteque corpus integrum, ubi tenuis tantùm pulvisculus alicujus Sancti extat, quod ejusdem sit virtutis, ac corpus integrum. Sane ipsum corpus S. Benedicti in Cassino Monasterio non extare, Patribus Henschenio & Papebrochio ingenuè fassus est Loci Abbas, tunc Romæ existens; qui, quæ olim Prior, & tunc Abbas iteratò sacras reliquias conspexit, jussitque ut induceretur inscriptio, qua allerebatur intemeratas esse reliquias S. Benedicti. Itaque non videtur improbabile, quod hæc sint eadem reliquiæ, quas monachi Cassinenses, Floriaco corpus Sancti hujus repetentes, inde in Monasterium suum reportarunt, de quibus refertur in historia translationis antiqua, quæ rursus Anno 1643. in thecam reposita fuit, quam Patres Congregationis S. Mauri, ad sui Patriarchæ ossa inibi recondenda Floriacum miserant. Hæc si forsitan minus arrideant; nequaquam absoum videatur, quod alias sexcentis in locis, ubi corpora, aut integra, aut plures illorum reliquiæ exhibentur Sanctorum, quæ etiam alibi extare dicuntur, deserviet. Nimirum plures fuisse Sanctos Benedicti, seu, quod idem sonat, Eulogii nomine insignitos, potuisseque varias reliquias horum Sanctorum ad diversa loca fuisse delatas; ut Coloniæ, Treviros &c. &c. delatæ fuerunt, quæ progressu temporis pro reliquiis magni illius Fundatoris Benedicti habitæ, hanc difficultatem discernendi posteris præbuerunt.

Ad Tertium Respondetur. A Petro narratorum fides maneat penes Authorem, hujusque Affectus. Cæterum Bullam allega-

tam imposturæ arguit ipsemet Baronius ad *Ann. Christ. 1087. num. 6.* quam quidem Lauretus propugnans asserit, datam Kal. April. Anno 1092. Urbani 4. Indictione 14. prout in litteris perhibet se legisse Papebrochius; censens substituendum Indictione 15. observansque ex Baronio, Pontificem eo anno Capuæ & Salerni fuisse. Floriacenses pariter pro sua causa Bullas exhibent, tum Joannis VIII. in Concilio Trecenti Anno 874. tum aliorum Pontificum Romanorum, in quibus habetur, corpus S. Benedicti in Galliam translatum, atque piè ibidem à fideibus coli. Sic, quod Lucas Pharf. *Lib. 1. v. 127.* ait *Magno se iudice quisque tuetur.*

Quod si, ut Baronius præterdit, innumerati Authores translationi contradicant, sunt ii recentiores. Primus, qui eam impugnavisse scitur, fuit Leo Ostiensis dicitur Masticanus S. R. E. Cardinalis, qui, sæculo undecimo labente, scripsit Libros tres Chronici, cui Petrus Diaconus 4. addidit; perperam confusus à Baronio, Possivino, Vossio &c. cum alio quodam Leone etiam ex monacho Cassinensi Episcopo Ostiensi & Cardinali, Urbani II. Secretario. Leonis argumenta leguntur refutata apud Menardum, Mabillonium &c. &c. Quotquot antea harum sacrarum meminere reliquiarum, tradunt ex monte Cassino in Galliam translatas: quanquam, quod Cassinenses animadvertunt, in temporis ratione non omnino convenient, dum alii id ad Adeodati Pontificatum referunt factum, alii sub Martino I. contigisse narrant: id, quod multis scrupulum injicit. *Neque enim, ut prudenter censet Dionysius Halicarnassensis cap. 55. de judic. hist. Thucii. sententiarum & optimorum argumentorum inventio ipsa per se multo studio digna videtur, nisi etiam rebus ac temporibus cæterisque circumstantiis conveniat.* Quo etiam vergit illud Tertulliani. *Religionis instar est, fidem temporibus adstruere.*
Suspectum

Suspectam insuper narrationem reddunt
ridicula quædam intermixta: quale est illud,
quod idem Angelus, qui inquirentibus ad
furceptionem Author fuit sacri corporis,
Romanum Pontificem ad hos insequendum
instiget; transferentes verò hortetur, ut fu-
giant. Unum tamen eundemque fuisse An-
gelum Menardus inficiatur, adducitque
exemplum Daniel. *cap. 10.* Angeli Principis
Persarum, obsistentis Gabrieli & Michaëli.

Plura alia, quæ hinc inde à partium stu-
diosis in medium proferuntur, Controver-
siam non finiunt: sed rem magis dubiam
perplexamque reddunt, atque intricatam
relinquunt; usque adeo, ut illam non com-
ponet doctior Prodicus; quem ex Xeno-
phonte ajunt, in dijudicandis litibus & ar-
bitriis inter dissidentes amicos, acerrimi fu-
isse judicium. Cùm itaque, re existente dubia,
non sit danda certa sententia, ut habetur
Cap. Græve II. q. 3. hinc insignes citari

Biographi Henschenius & Papebrochius
Act. SS. tom. 3. ad diem 21. Martii clarè
prævidentes, se non posse colophonem
addere, eandem cum Baronio, cui horror
pridem erat, vel à longè spinetum illud den-
sum aspicere, in medio reliquerunt. Si ergo
lis hæc ad Amphyctionum deducta consel-
sum decidi non potuit; quis disceptator e-
rit?

*Amici, ego heic senten-
tiam*

*Inter eos non feram. Nam
neutrius odio lubens*

Memet onerem-----

Aristophanes

Ranis v. 2443.



Eec

CON-